

1556

*Caraffis ho-  
nores & si-  
tuli a Pon-  
tifice delati.  
Palianum  
a Pontificis  
munitione.*

prætorianis custodibus, ac levis armaturæ equitibus e Vaticano in Capitolium deductus, divinis solemni ritu celebratis interfuit. Neque hoc contentus Paulus, Antonium, Joannis fratrem, Montebelli oppidi; Diomedem, Joannis filium, Cavæ Marchiones creavit: statimque Carolus Cardinalis, Johannes Dux, ac Petrus Strozzius Palianum cum muniendarum artium peritis se contulere, novisque aggeribus, ac propugnaculis cingere decrevere; præsidiarios milites auxere; tormenta, commeatus convehi jussere. Inde Caraffa Cardinalis trimibus Massiliam delatus, ad Henricum in Galliam, Petro Strozio comitante, contendit. Rebiba quoque in Belgium iter arripuit. Hac legatorum profectione resurgere denuo spes pacis, & eo, quo primum timore Italia perculta fuerat, paulatim levari coepit, cum nemini fere inducias inter Reges partas abrumpi verisimile videretur.

Verum iis, quæ ad Palianum a pontificiis agebantur, quod inde sibi ad Neapolitanum regnum invadendum aditum facerent, Hispani haud parum solicitabantur, cum simulatae pacis tractandæ artes non amplius tegi possent; & Cardinalem ad Ecclesiæ, atque Caraffæ gentis patrocinium, uti pollicitus fuerat, suscipiendum Henricum adhortatum fuisse constaret: cum pontificias ditiones ob pactas inducias hostibus objectas in maximo periculorum discrimine versari diceret; Rebibamque legatum ab itinere in Belgium suscepso ad se in Galliam vocasset; Herculi vero Ferrariæ Duci foederatarum copiarum imperium delatum fuisse fama esset. Quibus nuntiis Philippus permotus, Ferdinando Alvaresio, Albæ Duci, in mandatis dat, ut, quammaximis Neapolitano in regno coactis copiis, aliisque ex Hetruria, ac Subalpinis evocatis, per Campaniam pontificias ditiones invadens, Romam usque profectus, vi, atque armis vel instanti metu, vel periculi magnitudine Pontificis animos comprimat; a Gallorum amicitia sejungat; Marco Antonio Columnæ Palianum oppidum restituendum curret; hæc quamcelertime aggrediatur; Caroli, ac Petri Strozzi e Galliis redditum, Henricique subsidia antevertat. Ea dum Albanus sedulo curat, Pontifex oppida regno Neapolitano objecta præsidiis auget; pecuniam undique colligit; Palianum tormentis, & commeatu firmat; Antium, Velitras, Anagniam

*Philippus  
Regis ad  
Albanum  
Ducem mæ-  
data de Po-  
nificiis di-  
tionibus in-  
vadendis.*

mu-